

De timore.

3

Prouc. 9.
Prouc. 2.

Elai. 26.

Eccle. 1.

ſapientia ſuæ doctrinæ exordium ſumere, quàm à timore domini. Nam & ipſius ſapientia initium eſt timor domini. Teſtatur quoque quodam loco ſcriptura dicens, Si enim ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, ſi qualicunq; eam quali pecuniam, & ſicut theſaurus foderis illam, tunc intelliges timorem domini, & ſcientiam Dei inuenies. Quicunq; ergo iuſtificari cupit, quicunq; deſiderat ſapientia & ſcientia repleti, & qui ſalutari ſpiritu munitus anhelat ad culmen perſtingere virtutum, non aliunde incipiat, quàm à timore domini. Nam ipſe timor eſt robur animæ, lumen intelligentiæ, & ſalutis ſpes. Hoc teſtatur Eſaias dicens, A timore tuo domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. Alibi etiam dicit ſcriptura, Corona ſapientiæ timor domini, replens pacem & ſalutis dono. Magna enim ſalutis ſpes, & maxima in proſectu virtutum cauſa eſt timor domini, quia ſe poſidentem ſollicitum reddit ad peragenda quæ Dei ſunt, ne incurrat malum poenæ, quod peccantibus minatur, aut amittat bonum virtutis, gratiæ, & gloriæ, quod deſiderat. Sic enim diſtinitur ipſe timor. Timor eſt amor fugiens quod ei aduerſatur, ſcilicet poenam. Item timor eſt ſpecialis fuga mali, ne perdat quod amat, ſcilicet gloriam. Beati itaque timentes Deum, quoniam oculi domini ſuper eos, vt eruantur à morte, confirmantur in gratia, liberentur à malis, & defendantur in morte.

De multiplici vtilitate timoris.

C A P. I I.



Vemadmodum ex viſu pecuniæ auari cupiditas accenditur, ita ex narratione vtilitatis virtutum prouocatur homo ad illas poſidendas. Propterea vt ad donum timoris promoueat animus legentis, in prima fronte narrationis ipſius, deſcribendæ ſunt illius multiplices vtilitates. Primo nanque malum culpæ expellit retrahens hominem ab illicito vſu membrorum, ſenſuumq; exteriorum, ac affectionum vicioſorum, ne anima à Deo ſeparetur, vel ab illius familiaritate aliquantulum elongetur, quoniam timere Deum nil aliud eſt, quàm nulla quæ faciendæ ſunt bona prætereire. Sicut enim ſecuritas eſt ad lapſum facilis, ita timor à lapſu protegit, quia odit vitia, virtutes cuſtodit, cor ſedula vigilantia obſeruat ab ingreſſu eius noxiæ cogitationes repellens claua terribili, videlicet memoria æternæ poenæ. Ingerit nanque, ſicut veraciter, ita frequenter, quod poſt hanc peregrinationem tunc edax flamma comburet, quos nunc delectatio carnis polluit, illiſque infiniti baratri chaos patens deuorabit, quos ſalutis timor ab inani elatione, & à deformitate culpæ non cuſtodit. Timor quoque virtutes excitat, ne rubigine ocij conſumantur, quia nihil in ſancto propoſito ocio deterius, quod non ſolum modo non acquirit noua, ſed etiam acquiſita conſumit. Sanctæ enim vitæ ratio proceſſu gaudet, & creſcit, ocio autem & ceſſatione torpescit, & deficit. Quotidianis aſcentibus virtutum incrementis, inſtauranda eſt mens timore ſaluberrimo, & viuendi hoc iter non de tranſacto, ſed de futuro meriendum eſt. A malo præſentis poenæ reddit timor hominem ſecurum. Qui enim timet Deum, nihil trepidat, quia timor domini fiducia eſt fortitudinis & qui illum poſidet, non corruet. Abundantiam vir-

tutum ac bonorum ſpiritualium introducit ipſe timor. Nam principium noſtræ ſalutis radixque ſapientiæ, iuxta ſcripturarum teſtimonia, timor domini eſt. De timore autem domini compunctio naſcitur ſalutis, de compunctione cordis nuditas & contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur, de humilitate mortificatio voluntatum generatur, de mortificatione voluntatum extirpantur atque marceſcunt vitia, de expulſione vitiſum virtutes ſuccreſcunt, de virtutum pullulatione puritas acquiritur, per cordis puritatem apoſtolica caritatis perfectio poſidetur. Introducit quoque ipſe timor caritatem, & eſt principium ſapientiæ. Nam priuſquam anima Deus ſapiat, eam afficit ad timendum, & eam inſtruit ad ſciendum. Timet Dei iuſtitiam, timet Dei potentiam, & tunc ſapit ei Deus iuſtus & potens, quia timor ſapor eſt. Porro ſapor facit ſapientem, ſicut ſcientia ſcientem. Radix enim ſapientiæ eſt Deum timere. Obediẽtem reddit timor. Hoc teſtatur ſcriptura dicens, Qui Deum timent, præparabunt corda ſua, & in conſpectu eius ſanctificabunt animas ſuas. Cuſtodiant enim mandata eius, & patientiam habebunt vſque ad inſpectionem illius. Igitur o homo, quum audis quod Deus tuus dulcis eſt, attende quid timeas, vt amore & timore Dei excitatus legem eius cuſtodias. Hominem timor fortem facit. Nam in via Dei à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Sicut nanque in via ſeculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit, & timor fortitudinem gignit, vincula cupiditatis dirumpit, ſimiliter timor Dei vitium corrigit. Nam timor hominum peccandi differt facultatem, & operationem, non autem aufert ſed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem vel occaſionem, vnde & quos ſuſpenderit à crimine, auidiores reddit ad crimen, & attuat animo, quouſque perſiciat, quod malum cogitat. Solus enim Dei timor eſt, qui nocẽtes corrigit, fugat crimina, & perpetem conſert bene agendi voluntatem. Eſt etiam fons vitæ, & virtutum cauſa, dum per iuſtitiam deſert maiori: per prudentiam non credit ſe ſibi, per temperatiam reſugit diſcernere: per fortitudinem ſe obediẽtiæ ſubdit, non ad diſcernendum, ſed ad implendum. Nubes etiam carnalium cogitationum & affectionum fugat. Nam ſi ad momentum à domo mentis diſcedat timor, quali abſente domina: cogitationum ſe clamor, velut ancillarum garrula turba multiplicat, & affectionum carnalium ignis accenditur. Vt verò ad mentem timor redierit, mox conſuſio tumultuoſa compellitur, & more ancillarum ſe ad iniunctum opus mens ipſa tacite reprimat, & tunc cogitationes affectionumque protinus ſe cauſis propriis ad vtilitatem ſubdunt. Mentem quoque ipſe timor conſeruat. Breuiſigitur & plena commonitio, qua domino cum amabili timore quis famulatur. Nam ſicut remiſſa ſecuritas culpas admittit, ita timor deſiderabilis delicta ſemper excludit, & mentem conſeruat. Ipſe timor riuos concupiſcentiarum reſtringit, reptilia vitiſum de terra corporis humani exterminat, mare mundi huius conſolidat, vt ſuper illud ambulare quis poſſit. Quid plura. Timor domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exaltationis eſt. Delectabit nanque cor, & dabit lætitiæ & exultationem in longitudinem dierum.

Laur. Iuſtin.

a 2 De